Lithvani Prussiam vastant domum redeunt, quos Prussiae Marschalcus consecutus omnes ferè vincit, praedamque captam relinquere cogit.

31

Et necem paternam et Patriae vastationem Olgierth Lithvanorum dux, qui Gedemino patre extincto successerat ultimus, forti exercitu ex Lithvanis et Ruthenis congregato Prussiam hostiliter ingressus, eam caede et ignibus vastat, populationeque latius extensa, capta hominum et pecorum praeda, in Lithvaniam remeabat, quem Henricus Prussiae Marschalcus quatuordecima Augusti apud nemus, quod Galebonke nominatur, consecutus, quamvis se hosti videbat imparem confligit. Utrinusque autem pro victoria adnittentibus tanta caedes utrinque edita est, ut pars utraque pro victa discesserit, major tamen aliquanto clades in Litvanis, qui mille ducentis et viginti ex suis desiderati, etiam captivas animas et pecus relinquere coacti sunt.